



477

fuisset. Sic enim Sarraceni in mandatis habent per Machometum in Alcorano, quod Christianis non permittant, nec aedificare novas ecclesias, nec antiquas renovare, et ita Soldanus multis annis Christianis indulgere noluit, ut illius ecclesiae sarta tecta repararent. Tandem autem victus multis precibus fratrum Minorum montis Syon relaxavit rigorem et reparationem sarti tecti concessit. Procuraverunt ergo fratres, quod omnia ligna necessaria pro illa reparatione fuerunt Venetiis per artifices, qui mensuras ecclesiae acceperant, parata, et in galeis per mare usque ad Joppen ducta et de Joppe in camelis usque Bethlehem delata, et ita totum tectum ecclesiae renovatum est per artifices Venetos, et omnia defectuosa tam in ligno, quam in plumbo refecta sunt magnis laboribus et sumtibus. Tulerunt enim inde antiqua ligna, quae erant cedrina et cypressina de monte Libano, et nova ligna pina de montibus nostris supposuerunt. Siquidem Salomon in aedificium templi in Jerusalem accepit ligna cedrina de Libano, quae sibi rex Tyri misit per mare in ratibus usque in Joppen, et de Joppe ipse ea duxit in Jerusalem, ut habetur 2 Paral. 2. et Jesa. III. Sic etiam disposuit S. Helena ligna cedrina sibi mitti a monte Libano in mari per rates in Joppen, et inde tolli et in Bethlehem transduci. Et hoc facile fuit, et in paucis diebus potuit expediri. Sed nunc difficillimum est, quod Christiani de Libano ligna tollant, quia pagani nunc illas terras possident, et si tollere sinerent, tamen theloniis nimis gravarent et aliis exactionibus, ideo facilius de alpibus nostris ducunt ligna ad terram sanctam pro reparatione ecclesiarum (182 A) Christi, quam de montibus conterminis terrae sanctae. Credo tamen, quod etiam in Libano amplius non sint ligna cedrina, sicut in monte Syon defecerunt ligna cypressina, de quibus dixit Salomon Sap. 24: quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Syon. Ex illius ecclesiae reparatione tota ecclesia mundior facta est, nam antea tectum erat repletum columbis et passeribus, et nidis diversarum avium, et stercorizabant desuper, et pretiosum pavementum deturpabant. Sed ex quo reparatum est, venerunt matricies [martes], et ibi currentes nullam avem relinquunt, et tectum ab omnibus immunditiis praeservant.

492

490

496

486

481

441

391

Ende

Anfang